

Walsingham au prince d'Orange.

(10 juillet 1572.)

Il a conféré avec Coligny sur les affaires de Zélande. — Son zèle pour venir en aide au prince d'Orange. — Il serait utile que celui-ci chargeât sans délai un de ses frères de se rendre en Zélande. — Envoi de Junius qui ferait bien de s'adresser à la reine d'Angleterre pour en obtenir des secours.

Cum de statu Flushingi inter nos ageremus ego et D. Admiraldus, princeps illustrissime, ut qui optimæ causæ quam nunc agitis, summo opere studemus, ibi male admodum constitutis remedium primo quoque tempore apponendum censuimus. Illo autem negotio, subductis rationibus, neminem judicavimus magis aptum qui præficeretur quam D. Junium, tunc pro singulari ejus sapientia et in rebus agendis prudentia, tunc pro summo amore et studio quo erga causam ipsam afficitur, tunc etiam (quod maximi momenti instar haberi debet) quod illius reipublicæ civis illorum hominum popularis sit, quos auctoritate sua flectendos et in ordinem redigendos multo plus quam peregrinus aliquis poterit. Eum igitur illuc jam nunc, rebus ita exigentibus, et quidem cum diligentia misimus, mandantes ne inde discedat quousque Excellentia Vestra aliquem a fratribus vestris cum auctoritate in eas regiones mittendum curaverit: quæ res ita facta est necessaria ad causam promovendam ut nihil supra. Quod rebus Zelandinis hætenus ita male prospectum sit, in causa fuit, mihi crede princeps illustrissime, quod nobilitas britannica, quæ magna ex parte ad causam ipsam prius exarserat studio, jam dudum aliquantulum refrigerare cœperit. Quod ad me attinet, quo proceres nostrates denuo ad causam incendere possem, non dubitavi dicere fratrem quemdam vestrum jam nunc in via esse, nec longe abesse a Zelandia. Peto igitur ab Excellentia Vestra majorem in modum ut illud, omni exempta mora (quoad ejus fieri poterit) cures, non solum quod causæ necessitas ita postulat, verum etiam quo fidem meam apud nostros liberare possim, et possim melius toto tempore consequente causæ inservire. Non fugit prudentiam vestram quanti intersit locum illum quam optime conservari et quam necessarium sit ut aliquis magni nominis summaque auctoritate ei præsit. Hujus etiam rei Excellen-

tiam Vestram admonendam censui huic toti negotio melius consultum iri, si litteras D. Junio ad Serenissimam Reginam nostram dederis etiam illi in mandatis ut agat cum Majestate Sua de suppetiis ferendis: quod negotium ille ante adventum fratris vestri in eas partes suscipere non poterit, nec abesse longius. De statu rerum Gallicarum optime ex litteris D. Junii cognosces. Quod reliquum est, princeps illustrissime, precor Deum optimum maximum ut cœpta vestra secundet ad honorem et gloriam nominis sui.

Parisiis, VI^o Non. Quintil. 1572.

(*British Museum, fonds Cotton, Vesp., F. VI. f^o 102.*)
